Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 2dum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

Caeterum omnis argutatio vel est virtualiter bona, vel materialiter tantum
vel formaliter tantum vel materialiter et formaliter simul. Virtualiter
bona constat unica propositione aequivalente tamen pluribus realiter distinctis
ut si simulate semel affirmo Petrus est risibilis quia est rationalis, includit
duas propositiones, Petrus est rationalis, ergo risibilis; materialiter tantum bona
est, cum conclusio quidem bona est, et consequens sequitur ex antecedente sed tantum ratione
materiae in se, non formae unum ex altero deducentis, quia in simili forma
in alia materia sequi potest ex antecedente vero conclusio falsa, ita hic syllogismus:
aliquis homo est animal, Petrus est homo, ergo est animal, est tantum materialiter bonus,
similis fieri potest in alia materia ut consequens sit falsum v.g. aliquis homo
est Christus, tu es homo ergo tu es Christus; eiusmodi conclusiones vocantur
necessariae necessitate consequentis, sive materiae, non formae consequentiae, vel consequentiae
formalis. e contra si dico omnis homo currit ergo est Petrus conclusio tantum est
necessaria, necessitate consequentiae sive [struck] propter bonam formam sed
necessitate consequentis est tantum contingens, sicut Petro contingens est currere,
hinc consequentia et conclusio semper est evidens et certa tantum ratione formae,
quia ratione materiae potest esse falsa. Formaliter tantum bona est si
promissa quidem non omnes sunt vera, forma tamen tam sit bona ut si promissa
essent vera, conclusio non posset esse falsa, ergo omnis asinus est rationalis, sed omne
rationale est risibile, ergo omnis asinus est risibilis. Materialiter et formaliter
bona est, cuius omnes propositiones non tantum sunt verae ratione materiae sed
etiam formae, sic ut in nulla materia servata simili forma ex
veris promissis sequi possit conclusio falsa ut omne animal est substantia
omnis homo est animal ergo omnis homo est substantia.

Caput 2dum

De principiis intrinsecis syllogismi seu materia, forma, figura et modis.

Partes syllogismi sive principia intrinseca sunt duplicia materialia
et formalia, materialia sunt termini et propositiones, forma figura et modus.
Termini in syllogismo categorico et simplici, de quo solo hic agimus,
debent esse tantum tres, quorum quilibet bis debet poni: medius terminus
bis ponitur in promissis, et nunquam in conclusione, duo reliqui termini
vocantur extrema, unum extremum maius alter minus. extremum maius
est ille terminus, qui in promissis habet locum propositionem, quia locum est
praedicati de medio, minus extremum est terminus qui in promissis est subiectum;
sed hoc tamen in prima figura, in 2da est utrumque extremum, et in 3tia
utrumque praedicatum in promissis, ergo in 2da et 3tia figura

maius extremum est praedicatum in conclusione, et minus subiectum. maior vocatur in qua est maius extremum, et minor in qua minus, quocunque ordine ponantur. sic in hoc syllogismo: omnis homo est animal, atqui risibile est homo, ergo risibile est animal, homo est medius terminus, quia bis ponitur in praemissis, animal est maius extremum, quia praedicatur in praemissis de medio termino, risibile minus, quia subiicitur. prima propositio est maior quia habet maius extremum, secunda minor, quia minus. in hoc vero: nullus homo est prudens, omnis equus est prudens, ergo nullus homo est equus, maius extremum est equus, quia praedicatur in conclusione, maior propositio est: omnis equus est prudens, quia continet maius extremum etiamsi sit secundo loco.

Forma syllogismi est recta terminorum ac propositionum dispositio, constans figura et modo. figura est talis compositio extremorum cum medio secundum praedicationem, et subiectionem, eaque triplex. nam aut medius terminus vel est subiectum in maiore et praedicatum in minore, ut omne animal est vivens, omnis homo est animal ergo omnis homo est vivens, et est in prima figura, vel secunda in utraque praemissa est praedicatum ut omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo, et tunc est in secunda figura vel denique tertio, bis est subiectum ut omnis homo est animal, aliquis homo est doctus, ergo aliquod doctum est animal et tunc est in tertia figura, quod indicant sequentes versus:

Praedicat et subiicit medium sibi prima figura,
Praedicat altera bis, tertia bis subiicit.

Obiicies Galenus quartam esse figuram a se auctore galenicam dictam, in qua medius terminus sit praedicatum in maiore, et subiectum in minore, idque sic probat: ideo novam figuram facit medius terminus, quia potest in maiore subiici, et in minore praedicari, ergo etiam novam figuram facit, si in maiore praedicatur et in minore subiicitur ut in hoc syllogismo: Petrus est homo, omnis homo est animal ergo Petrus est animal, qui syllogismus recte non deberet sic poni: omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. ubi vides talem diversitatem in loco esse quod maiorem secundo et minorem primo loco ponat Galenus, quae diversitas est tantum accidentalis: illa enim propositio vocata est maior, in qua maius est extremum, sive primo sive secundo loco ponatur, et maius extremum est, quod praedicatur in praemissis de medio, ergo non potest subiici medio in maiore manet ergo utrobique eadem dispositio medii, ergo et eadem figura, ergo illa diversitas est tantum accidentalis, et inordinata propositionum transpositio, specialis syllogismus ille ad tertiam figuram, aliasque in secunda Cesare et Camestres

facerent diversas figuras. R: dico aristotelem ideo medii dedisse situs novam figuram, quia in maiore potest subiici et in minore praedicari, et quia facit diversitatem essentialem, ac diversam terminorum combinationem. contra si non faceret diversitatem accidentalem et syllogismus galenicus. N: contra est contra eam. diversitas essentialis est quod medius terminus vel bis praedicetur, vel bis subiiciatur, vel semel praedicetur ac subiiciatur, utrumque autem prius subiiciatur vel praedicetur est diversitas accidentalis. deinde fit per rationem voluntas plurium quibus ita, et non aliter loqui placuit.

Altera pars formae consistit in modo, qui est recta dispositio propositionum in debita quantitate et qualitate: duplices autem genere sunt modi, directi, in quibus maius extremum in conclusione praedicatur de minori; indirecti, in quibus minus extremum in conclusione praedicatur de maiori. Ceterum modi indirecti tantum locum habent in prima figura licet directos non excludat; in 2da autem et 3tia semper maius extremum in conclusione praedicatur. Et quia novendecim modis praecipue fieri potest talis propositionum variatio, ii omnes in subsidium memoriae per sequentes inconditos versus indicantur:

Barbara celarent darii ferio. baralipton.
Celantes dabitis fapesmo frisesomorum.
Cesare camestres festino baroco. darapti.
Felapton disamis datisi bocardo ferison.

Hos ut intelligas notabis imo per primam vocalem semper denotari maiorem, per 2dam minorem et per 3tiam conclusionem, plures si adsunt, tantum explent metrum. Notabis 2do ex versibus apparet per litteram à significari propositionem universalem affirmativam, per e universalem negativam, per i particularem affirmativam, per o particularem negativam. Notabis 3tio ipsas novem voces spectare ad primam figuram, et quatuor primas figurant modos directos, reliquas quinque indirectos. Notabis 4to ad 2dam figuram pertinere cesare camestres, festino baroco. reliquas vero sex voces ad 3tiam. Quod si iam syllogismum bonum a malo discernere prius velis et scire ad quam figuram pertineat, inquiras imo in medium terminum, ex cuius vel subiectione vel praedicatione intelliges figuram. 2do ubi et quomodo stet maius et minus extremum pro agnoscendo modo directo vel indirecto. 3tio quae sit propositio maior vel minor, 4to ut eundem modum agnoscas,

inquirat, an omnes propositiones servent debitam quantitatem et qualitatem.

Obiicies 1mo modi figurarum, ut dafisi, darii dabitis etc. sunt diversi ex sola praemissarum variatione, ergo inter eandem variationem et figuram. R. N. anteced. darii enim concludit directe, dabitis indirecte et pertinent ad 1mam figuram, dafisi vero ad 3tiam.

Obiicies 2do hi syllogismi: omnis homo est risibilis, Paulus est homo, ergo Paulus est risibilis. 2do aliquis homo est Cicero, aliquis orator est Cicero, ergo aliquis orator est homo: sunt boni, et tamen ad nullum modum pertinent, ergo dantur plures quam novendecim. R. imo saltem non loquitur de syllogismis terminorum singularium, quia serviunt scientiis, quae non versantur circa singularia. R. 2do 1mum syllogismum virtualiter contineri in darii cum propositio singularis aequivaleat particulari. alter vero est expositorius, de quo hic non agimus.

Obiicies 3tio et hi syllogismi sunt boni: omnis homo est animal, omne animal est vivens, ergo aliquis homo est vivens. 2do nullus leo est lapis, omne rugibile est leo, ergo aliquod rugibile non est lapis. 3tio nullus equus est lapis, omne hinnibile est equus, ergo aliquis lapis non est hinnibilis. 4to nullus homo est lapis, omnis adamas est lapis, ergo aliquis adamas non est homo. 5to nullus homo est lapis, omnis adamas est lapis, ergo aliquis homo non est adamas. R. illos reductive contineri in novendecim modis. 1mus in barbara, 2dus in feocelarem. 3tius in celantes, 4tus in cesare, 5tus in camestres, quia tum inferunt conclusionem particularem pro universali, in qua, quia particularis continetur, et huius loco potest poni universalis, utergo syllogismus censetur esse in eodem modo. Omnes hi syllogismi comprehenduntur hoc versu.

Fersandros, fallaris, pelago, centauros, arestor.

Fallaris reducitur ad barbara, fersandros ad celarent, pelago ad celantes, centauros ad cesare, arestor ad camestres.

Obiicies 4to hic syllogismus: aliquis homo est logicus, aliquod animal est omnis homo, ergo aliquod animal est logicus. est in giris ex meris particularibus, ita alii fieri possent in bitora etc. R. nos tum loqui de syllogismis ordinatis. alii eiusmodi syllogismi inordinati tum reductive huc spectant, quia non praedicatur id, quod est aptum praedicari: aptus autem praedicatur terminus superior de inferiori, et

adiectivum de substantivo, quam inferior de superiori vel substantivum de adiectivo.

Caput 3tium

De principiis extrinsecis vel directivis syllogismi cathegorici.

Quatuor sunt principia generalia lumine naturae nota, quibus fundantur omnes boni syllogismi, duo vocantur logica, scilicet: dictum de omni et dictum de nullo, quia immediate ex fine logica dirigit syllogismos affirmativos alterum negativos. Sensus prioris est: quidquid dicitur de omnibus distributive, dicitur et de singulis; et sensus posterioris quidquid negatur de subiecto universaliter sumpto, negatur et de singulis.

3tium et 4tum vocantur principia metaphysica quia explicant identitatem vel distinctionem rerum, quod est proprium metaphysicae. Primum deserviens pro syllogismis affirmativis est hoc: quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. Sensus est si duo sunt adaequate identificata cum uno tertio, tunc identificantur inter se ut in hoc syllogismo omnis homo est animal, Petrus est homo ergo Petrus est animal, quia Petrus identificatur cum homine, et homo cum animali, evidenter et Petrus identificatur cum animali, alias Petrus et homo essent idem et non essent idem: essent idem, quia Petrus est homo, non essent idem, quia homo est animal, et Petrus non est animal.

Alterum principium negativum serviens pro syllogismis negativis est hoc: quae distinguuntur in eodem tertio, distinguuntur inter se. Hoc est si ex duobus est unum identificatum cum aliquo tertio, alterum vero ab eodem tertio realiter distinctum, tunc hoc ipso etiam illa duo inter se sunt distincta v.g. si homo identificatur cum rationali, leo vero a rationali distinguitur, hoc ipso homo et leo non sunt idem in tertio sed inter se distinguuntur, alias distinguerentur et non distinguerentur.

Dices primo ergo homo et rationale distinguuntur, quia distinguuntur a tertio leone. Respondeo: nego suppositum, quod illa distinguantur inter se, quae distinguuntur a tertio, sed quae in tertio distinguuntur: distingui in tertio est quando unum est idem cum tertio et alterum a tertio distinctum. A tertio distingui est quando utrumque ab eo distinguitur. Licet evidens sit, quod quaecunque sunt idem in tertio et sint idem inter se, non tamen, quae non sunt idem in tertio, hoc ipso non sunt idem inter se. Sic v.g. risibile et rationale distinguuntur a leone, quin distinguantur inter se.

Dices 2do homo et rationale sunt idem in tertio scilicet animali et tamen distinguuntur, ergo fallit principium metaphysicum. Respondeo: distinguo antecedens, sunt idem in tertio et eadem parte tertii, scilicet cum eodem animali